

Z d
2092

QK. 264, 17.

OBSERVATIO
DE
MATERIA XII. TABVLARVM
AD LOCVM POMPONII
EX ENCHIRIDIO L. 2. §. 4. D. DE ORIG. IVR.

Q V A M
V I R O
MAGNIFICO IVRISCONSULTISSIMO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
MARTINO GOTTLIEB
P A V L I

I. V. D. DIGESTI VETERIS PROFESSORI CVRIAЕ
PROVINCIALIS CONSISTORIЕ ECCLESIASTICI
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSORI

NVPTIAS CELEBRANTI


A D. VI. CALEND. DECEMBER.

D. D. D.

GOTTLIEB WERNSDORFIUS

IVR. VTR. CANDIDATVS ADVOC. IMMATR. ET S. C. M.
NOTAR. P V B L.

VITEMBERGAE LITERIS C. C. DÜRRII ACAD. A TYRI.



QK. 264.



Cat. N. 465.

VIR MAGNIFICE
AC CONSULTISSIME
FAVTOR SVMMO PERE COLENDE.



Singularis amicitia, quam inde
ab eo tempore, quo ex cele-
berrima Lipsiensi Academia in patriae
meae carissimae Athenaeum vocatus es,
et Gedani praesens, et postea in inclu-
tam hanc litterarum sedem translatus,
absens, cum patre meo coluisti, et insignis
favor, quo me filium collegae, TIBI quon-
dam iunctissimi, complexus es, cuius et
in Gedanensem nobilissima ciuitate, in
qua iam TVA institutione mibi frui li-
cuit,

RIN MAGNIFICE

cuit, et in hac celeberrima litteraria uniuersitate per sex illos annos, quos hic exegi, edidisti multa et egregia documenta, ita me totum **TVVM** reddidere, ut non possim non de rebus feliciter **TIBI** euenientibus laetari. Necessarium non est, ut longo verborum ordine **TIBI**, **VIR MAGNIFICE AC CONSVL-TISSIME**, meam exponam pietatem, quam et nouere omnes, et de qua TE etiam non dubitare, probe scio. Saepius enim euenit, ut ii, qui omni data occasione propensam suam voluntatem testantur et loquuntur, nihil tamen minus velint, quam ut his suis verbis fides adhibeatur, in quorum numerum ego tamen referri nolle, qui simulandi fingendique studium, quam maxime fugio, et ut sentio, loquor. Est etiam quoddam, quod fati non pudet, in me vitium, ut ab urbanitatibus, iusto forsan nimis abhorream,

ream, unde nec de laudibus TVIS quid-
quam hic addere, nec longiori verborum
syrmate TIBI matrimonium ineunti, gra-
tulari possum. Breui igitur vouendi for-
mula TIBI VIR MAGNIFICE AC
CONSULTISSIME, nuptias, quas
cum NOBILISSIMA HONESTIS-
SIMAQUE VIRGINE, ELEO-
NORA AMELIA, venerandi senis,
quem Deus diutius et Academiae et coe-
tui sacro seruet, Viri summe venerabi-
lis HOFMANNI filia, celebras,
faustas felicesque esse iubeo. Adsit, pre-
cor, propitium numen huic matrimonio,
TEque, ornatissimamque TVAM mox
HOFMANNIAM ad seros usque
annos incolumes sospitesque seruet, ut
nulla unquam aduersa fortuna serenas
res turbante, iucundo ac perpetuo otio
frui possitis. Haec votorum summa est,
quae pro TVA, VIR MAGNIFICE

AC

83210

AC CONSULTISSIME, salu-
te, etiam in ipsis his Nupiarum sole-
mnibus pie nuncupo. Ut autem publi-
cum huius meae in TE pietatis quod-
dam monumentum extet, offero TIBI
hanc obseruationem de materia XII. Ta-
bularum, TWO AMPLISSIMO NO-
MINI inscriptam, quae si TIBI aliis-
que sine felle iudicantibus probabitur, id
me ad maius adhuc rerum antiquarum,
criticarumque studium, a quo per totum
vitae meae tempus non alienus fui, in-
citabit. Quod superest TWO fauori,
quem ut perpetuum mihi serues decen-
ter rogo, me totum trado ac committo.
Vale.

OBSER.

O B S E R V A T I O
D E
MATERIA XII. TABVLARVM

Quam multis vitiis illud fragmentum,
quod ex POMPONII Enchiridio
in Iuris nostri libros translatum
est, scateat, nemo fere ignorat, qui paulo
accuratius has reliquias considerauerit. Vix
enim paucae sunt lineae, quin vel operosa
interpretatione vel emendatione egeant, ita
ut Illustris RITTERVS in *Not. ad HEIN-
NECC. Hist. I, 17.* Compilatoribus Di-
gestorum iniuriam facere non videatur, qui
*hominem indoctum rudemque et qui ne
primis quidem labris litteras degusta-
uerit, POMPONII librum de Origine iuris
saeculo Iustinianeo, barbaro iam excer-
psisse, atque foeda ignorantia elegans
enchiridion commaculasse scribit.* Non
est haec vox indigna Iurisconsulto, cui qui-
dem VLPIANVS, PAVLVS et reliqui cum
POMPONIO iuris interpretes, et ipse etiam
TRIBONIANVS amici sunt, sed magis ami-
ca veritas: nullus enim vnquam aequus
Themidos amator, ea loca, quae aperte

a

cor-

corrupta sunt, aut quae παροχίαται et ανι-
 σημεῖαν spirant, defendet, id enim esset
 omnem criticae artis usum ex Iurispruden-
 tia proscribere, cuius tamen opera, dum-
 modo critics studium iustis circumscriba-
 tur limitibus, *ars nostra*, ut ait HEINEC-
 CIUS in Praef. ad Obseru. BYNCKERS-
 HOEKII non magis carere potest, quam
 pharo, qui in tenebris nauigant. Prae-
 terea qui Epitomatorem libri taxat, non-
 dum honorem auctoris minuit, quamvis
 POMPONIVM ipsum interdum lapsum esse
 negari non possit, et fateatur ipse acerri-
 mus fragmenti Pomponiani defensor V.A.
 CORNEL. A BYNCKERSHOECK, *praef. ad*
Praeterm. ad L. 2. D. de O. I. qui, quam-
 vis grauiter in eos, qui nihil fere, quam
 Pomponii παροχίαται, ανισημεῖας et αναγε-
 νήσεως crepant, inuehatur haec tamen ad-
 dit: *Ego constitui causam Pomponii agere,*
quam potero maxime, quum non potero,
si forte id incidat, vt incidit rarissime,
sic habe — facile potuisse hominem labi,
qui vt hic POMPONIVS, in recensendis
rebus memoriae veteris, origine repetita
ab

ab ipsis Reip. Romanae incunabulis, tam
multa dixit breui compendio. POMPO-
NIVM alicubi fuisse lapsum non tam mi-
rer, quam mirarer nullibi fuisse lapsum.
Epitomatorem autem Enchiridii valde hal-
lucinatum esse, illustri exemplo ex loco, in
quo de iure Papiriano loquitur POMPONIUS
desumto, comprobauit RITTERVS I. c.

Nihilo secius sunt nonnulli viri caete-
roquin doctissimi, qui tantam huic frag-
mento tribuunt auctoritatem, ut ne leuem
quidem emendationem admittant, et cor-
rupta loca audaci interpretatione contra
omnem aliorum historicorum fidem tuean-
tur, licet ipsa eorum interpretatio ab omni
veri specie abhorreat. Ego certe miratus
sum celeberrimum Lipsiensium Antecesso-
rem, AVG. FR. SCHOTTVM ab horum
partibus stare, qui in *Vindiciis POMPONII*
de Materia XII. Tabularum, quae dis-
sertatio in *Opusculis eius p. 25.* extat,
vulgatam legctionem in *L. 2. §. 4. D de*
Orig. Jur. contra doctissimam RODAEI in
Miscell. IV. 12. SCALIGERI, in Anim-
adu. ad GUILANDINI Papyrus et GO-



DOFREDORVM cum DIONYSII *in Not.*
ad L. 2. §. 4. D. de Orig. Iur. tum IACO-
 BI *in Hist. LL. XII. Tabb. c. 6.* emenda-
 tionem defendit, et eboreas fuisse tabulas,
 in quibus Decemuiriri leges suas proposue-
 rint, solo POMPONII testimonio confisus,
 euincere conatur. Sed an omnibus suam
 sententiam persuaserit, valde dubito, ego
 quidem quoquis pignore contendere ausim
 POMPONII locum corruptum esse, nec un-
 quam leges Decemuirorum in eburneis ta-
 bulis propositas fuisse.

POMPONII verba, ut vulgo eduntur
 ex Enchiridio in *L. 2. §. 4. D. de Orig.*
Iur. haec sunt: PLACVIT PVBLICA AV-
 CTO RITATE DECEM CONSTITVI VIROS,
 PER QVOS PETERENTVR LEGES A GRAE-
 CIS CIVITATIBVS ET CIVITAS FVND-
 RETVR LEGIEVS, QVAS IN TABVLAS
 EBOREAS PERSRIPTAS PRO ROSTRIS
 COMPOSVERVNT, VT POSSINT LEGES
 APERTIVS PERCIPI.

Multis quidem Consultissimus SCHOT-
 TVS probare studet, tabulas non fuisse ro-
 bore-

boreas; quo facilius Pomponii locum a librariorum erroribus liberare possit, cum leui alias mutatione ex eboreis roboreae fieri, eboreae autem haud facile in aeneas, quas apud Pomponium eboreis substituunt
TVRNEBVS Aduers. XXX. 35. atque **R V PERTVS**, *ad Enchirid. POMPONII*, mutari queant, ideoque argumentorum fidem, quibus contra sentientes videntur, quauis ratione infirmare allaborat. **DIONYSII** igitur **HALICARN.** locum, qui *Antiquit. Rom. Lib. III. p. 178. ed Sylburg.* roboreis tabulis leges a Romanis incisas fuisse probat, ad tempora Anci Marci regis, non ad Decemuirorum aetatem, pertinere docet, et ab **EV. OTTONE** in *praef. ad T. III. Thesauri Iuris*, prolata argumenta, ex voce tabularum et ex Solonis legislatione, cuius leges Athenis axibus ligneis incisas fuisse constat, ducta, parum firma esse contendit. Quae omnia, quamuis vera sint, et ab Clarissimo Vindiciarum auctore accurate eruditeque comprobata, non efficiunt tamen, duodecim Tabulas nunquam roboreas fuisse, quod tamen se

a 3

demon-

demonstraturum esse in C. 2. suae Dissertationis promiserat.

Restat enim, quantum video aliud argumentum, cui obuiam non iuit doctissimus laudatae Dissertationis auctor, petitum ex more Romanorum, qui leges ac Edicta in tabulis quernis vel roboreis proponere consueuerant. Album enim, in quo Edicta proponebantur, nihil aliud fuisse, quam tabulam ligneam natiui coloris, in qua atris litteris Edictum scriberetur, docuit ex collatione LIVII cum DIONYSIO HALICARNASSENSI Illustris RITTERVS in Praef. T. IV. Cod. Theod. quae enim LIVIVS I. 32. de Anco Martio scribit, eum omnia ex commentariis regis (Numae) pontificem maximum in album relata proponere in publico iussisse; ea DIONYS. HALICARN. Antiqu. III. p. 178. ita exprimit: μετα ταῦτο συγκαλεσας τας ιεροφαντας, οης τας περι των ιερων συγγραφας, οης Πομπηιος συνεπησατο παρ αυτων λαβων, ανεγραφεν εις δελτες, οης πρεψηκεν εν αγορᾳ, πασι τοις βελομενοις σηκοπειν, i. e. Coniucatis pontificibus, et acceptis ab illis sacris constitutis

nibus

nibus, quas Pompilius ediderat, eas in tabulas perscripsit, et in foro, ut ab omnibus legi possent, proposuit. Has tabulas autem, in quibus de sacris Numae constitutiones propositae erant ab Anco, quernas vel roboreas tabulas fuisse, docet DIONYS.

HALICARN. l. c. qui pergit: χαλικει γαρ σηλαι ἐπο τοτε ήσαν, ἀλλ' ἐν δευτερι εχαρακτοτο σαντιν ὁ νομος καν αἱ περι των ιερων διαγραφαι i. e. Nondum aereae columnae in usu erant, sed roboreis tabulis et leges et sacrorum ritus incidebantur. Nulla vero ratio reddi potest, cur Decemviri ab hoc more antiquo recesserint, quem et post eorum legislationem magistratus seruauerunt, qui in tabulis ligneis Edicta proposuerunt. Nam quae s VIDAS v. λευκωμα de dealbato pariete et THEOPHILVS §. 12. I. de Action. de albis litteris, quae in Albo Praetoris apparuissent, tradunt, iam dudum explosa sunt a viris eruditis. Leges etiam posteriori aeuo ligno incisas esse probat HORAT. de Art. poet. v. 399. iam laudatus ab EV. OTTONE Praef. T. III. Thes. Cui denique ex antiquitate igno-

a 4 tum



tum est, leges, quae per legem Caeciliam Didiam, antequam ferrentur ad populum, per trihundinum promulgarentur, in tabulis ligneis populo spectandas contemplandasque propositas esse?

Certum igitur est, mea quidem sententia, Decemuiros leges suas more solito in tabulis ligneis quernis proposuisse, in aes enim XII. Tabularum leges demum post exactos Decemuiros, a Consulibus A. 305. L. Valerio et M. Horatio Barbato incisae sunt, teste *LIVIO III. 58.* Nec dubium oriri potest, quin his temporibus tantum duae posteriores tabulae in aes incisae fuerint: nam ab ipsis iam Decemuiris sub finem secundi, quo regnauere anni, propositae sunt duae, quas deesse adhuc commenti erant Decemuiri, ut imperium iis prorogaretur, quibus adiectis, corpus omnis Romani iuris velut absolutum videbatur, cuius rei testes sunt *DIONYS. HALICARN.*

Ant. X. p. 683. Οἱ δὲ περὶ τοῦ Ἀππιοντὸς λοιπὲς συγγραφεῖτες νομοὺς ἐν δελτοῖς δύσι, καὶ ταῦτας τὰς προτερέους ἐξενεχθεῖσαις προσεθηκαν
i. e. *Appius cum Collegis reliquias leges in*

in duabus tabulis conscriptas, reliquis
 iam ante editis adiecerunt. et LIVVS
 III. 57. his verbis: iam et processerat
 pars maior anni, et duae tabulae legum ad
 prioris anni decem tabulas erant adie-
 ctæ, nec quidquam supererat, si hæ quo-
 que leges centuriatis comitiis perlatae
 essent. Quæ scriptorum testimonia si ac-
 curatius consideraueris, corruit coniectura
 Consultissimi SCHOTTI, qui in *Vindiciis*
 Pomponii C. 5. Decemuiris ob eam cau-
 sam materiam aeuum non laturam placu-
 isse scribit, quia legum corpus nondum
 confectum fuisset. Ait autem: *Scilicet*
 cum decem tabulae proponerentur, non-
 dum perfecto legum corpore, hæ ipsæ
 mutationi erant subiectæ et non nisi ad
 tempus publice perscriptæ. *Hinc iis*
 sufficiebat materia aeuum non latura,
 qualis ebū est. Nam duabus posteriori-
 bus tabulis adiectis, totum legum corpus
 iam perfectum erat, nec Decemuiri, qui
 iam tyrannidem affectabant, illas posterio-
 res leges populi iudicio submittere, eas-
 que centuriatis comitiis perferre voluerunt.

At his, quae de roboreis legum tabulis ha-
ctenus differuimus, contrarius videtur DIO-
NYSIVS HALICARN. qui decemuiros sta-
tim leges suas in columnis aereis propo-
suisse scribit. ait enim *Antiqu. X.* p. 681.
 ἐπικυνθωταντος δε και τα δημη τας νομες, σηλαις
 χαλκαις ἐγχραξαντες αυτες, ἐφεξης ἐθεσαν
 εν αγοραι τον ἐπιφανεσατον ἐλεξαμενοι τοπον, i.
 e. postquam populus leges approbasset (*De-
 cemuiri*) eas aereis columnis incisas sta-
 tim in loco fori maxime conspicuo pro-
 posuere; sed ille accuratus ceteroquin scri-
 ptor hic sine dubio πεσληψι historicam (a
 qua si *Antiqu. VI.* p. 415. euolueris, eum
 non alienum videbis, qui iam A. 261. Ae-
 diles a senatu, purpura, sella curuli, et cae-
 teris insignibus regiis, ornatos scribit, cum
LIVIVS VII. I. et CICERO ad Attic. VI.
Ep. I. Aediles curules multis annis post
 Decemuiros institutos doceant) commisit,
 cum quae postea demum eieftis Decemui-
 ris aeneae fuerunt, ab initio aeneas suisse
 dixit. *LIVIVS* enim *Lib. III. c. 58.* cum
 quo in hac re etiam consentit *DIODORVS*
SICVLVS Bibl. Hist. Lib. XII c. 26. locu-
 ple-

pletissimus testis est, leges demum a Consulibus Valerio Horatioque, qui post Decemuiros imperii fasces suscepereunt, aeri incisas, in publico propositas esse. Aediles autem Plebis, quos iussu Tribunorum eo ministerio functos plerique scribunt, inutilem nauassent operam, si leges iam in aeneis tabulis a Decemuiris propositas, denuo in aes incidissent. Ex quo patet aliam fuisse tabularum materiam, tempore Decemuirorum, quam sequenti aetate, quod iam vedit IAC. GOTHOFREDVS in *Hist. LL. XII. Tabb. l. 6.* quem in hac re recte sentire affirmat Cl. SCHOTTVS in *Diss. cit. l. 4.* At cum tabulae, quamuis id velit POMPONIVS, eboreae esse non potuerint, ut iam docebimus, restat eas roboreas seu quernas fuisse, ideoque cum SCALIGERO, BRODAEO aliisque apud POMPONIVM eborearum loco, roboreas reponendas esse.

Eboreas autem has Tabulas esse non potuisse, hoc modo conficitur. Primo eboris usus in tanta veterum Romanorum paupertate, in qua grauiores etiam iniuriae viginti



ginti quinque assibus aestimabantur, ut docet GELLIUS *N.A.* XX. 1. et cum plures annos post Decemuiros Romani, *cum a Gallis capta urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo auri possent teste PLINIO Hist. Nat. XXXIII. 5.* peregrinus fuit, cum ebur ex ultimis Indiae partibus adueheretur, ipsi autem Romani mercaturam non exercerent, et ad optimorum ducum exemplum frugales, suis bonis contenti essent, aliena nihil vel parum curarent. Afferere quidem non audeo, omnem eboris usum illius temporis Romanis plane ignotum fuisse, nec tamen cum celeberrimo SCHOTTO in *Diss. laud.* l. 3. ex sceptro eburneo et sella eburnea, quibus reges Romanorum usi sunt, et quae teste DIONYSIO HALICARN. *Antiqu.* III. p. 165. ab Etruscis s. Tyrrhenis, Tyriorum, ut nomen docet, colonis, mercaturam exercentibus, dono accepit Tarquinius Priscus, colligere vellem, magnam apud eos eboris copiam fuisse. Nam etsi concederem sceptrum totum ex ebore fuisse, quod mihi tamen nondum constat, de sella tamen

men regia id iure meo negare mihi videor,
 cum ea tantum ebore ornata vel eburneis
 laminis inducta fuerit, ut reliquae sellae
 curules. Apud DIONYSIUM HALICARN.
 enim θέρας ἐλεφαντίνος est sella ebore orna-
 ta, quippe qui omnem sellam curulem θερ-
 ανον ἐλεφαντίνον appellat, ut patet ex loco su-
 pra a me iam laudato, de Aedilibus curu-
 libus, quos a senatu purpura, sella curuli,
 aliisque insignibus, quibus reges vni, orna-
 natos scribit. Verba graeca in *Antiquit.*
Lib. VI. p. 415. haec sunt κοσμηθεντες ὑπο-
 της βελης πορφυρας και θερανθ ελεφαντινω, και
 τοις ἀλλοις ἐπισημοις, οι ειχον οι βασιλεις. De-
 inde eti concedatur his antiquissimis tem-
 poribus eboris usum iam vulgarem fuisse,
 verosimile tamen non est, tantam fuisse Ro-
 mae eboris copiam, ut sine maximis sumti-
 bus duodecim Tabulae haud paruae magni-
 tudinis ex hac pretiosissima materia confici
 possent. Nam et post illa tempora, qui-
 bus iam Asiaticae diuitiae luxuria Romanae
 originem dederant, et Romanorum mo-
 res corruperant, cum iam totus fere, quo-
 usque patebat, terrarum orbis, Germanis,
 Par-

Parthis, Scythisque exceptis imperio Romano pareret, ebur in magno erat pretio. Ita enim PLINIUS, qui decimo iam post Romanam conditam saeculo, sub Vespasianorum imperio vixit, in *Hist. Natur. Lib. VIII. C. 4.* scribit: *Rara amplitudo dentium, praeterquam ex India reperiatur et Lib. VIII. C. 10.* Dentibus ingens pretium et Deorum simulacris laudatissima (vel ut Harduinus edidit laudatissima) materia. Quamuis enim apud VLPIANVM in L. 52. pr. D. de Legat. et Fidei comm. III. ad quem, ut vulgatam in L. 2. §. 4. D. de Orig. Iur. lectionem defendere possit, in primis prouocat consultissimus SCHOTTVS d. Diff. C. 3, eborae codices occurrant, inde tamen nullum argumentum duci potest, duodecim Tabulas etiam fuisse eburneas. Apud VLPIANVM enim codicilli tantum eburnei, quibus nos etiam interdum vti solemus, intelliguntur, qui ratione magnitudinis valde differunt a tabulis, in quibus totum legum corpus perscriptum est. Denique in toto, quo usque patet, terrarum orbe, nullum tantae

tantae magnitudinis inuenitur ebur, in quo
vnius tabulae leges perscribi possent. non
enim minutissimis litteris leges propone-
bantur, vti fecit Caligula ideo ab scripto-
ribus reprehensus v. SVETON. *Calig.* C.
41. sed maiori scriptura et litteris vnciali-
bus, vt ex plano recte legi possent. Inde
neceſſe fuisset, vt Decemuiri ebur ſectum
conglutinarent, vel eburnea crux linea-
tabulam inducerent, quod cum non fieri,
niſi ſumma cum diſſicultate poſſit, vero ſi-
mile non eſt, Decemuiros legibus ferundis
creatos tantas ſubiſſe diſſicultates, vt a con-
ſuetu more recederent, et leges in pretio-
fiffima, nec diu duratura, ob conglutina-
tionem, materia proponerent. Multum
praeterea in hac controuersia contra POM-
PONII fidem, probat omnium, qui de ce-
leberrima hac Decemuirum legislatione
quidquam tradidere, scriptorum ſilentium,
quorum nemo in ebore leges a Romanis
vnquam perſcriptas eſſe dicit. THEOPHILI
enim SCHOLIASTES a Cl. SCHOTTO in
C. 6. l. Diff. excitatus, testimonio ſuo, cui
etiam parum fudit ipſe consultiſſimus Vin-
dicia-

diciarum auctor, in hac re fidem POM-
PONII firmare non potest, quippe qui
ea, quae ad Paraphr. Theoph. Tit.
de Tutel. Agnat. legit. afferit, sine ullo
dubio ex Pomponiani Enchiridii fragmen-
to, ut illud in iuris nostri libris extat, hau-
sit. At si vñquam leges XII. Tabularum
in eburneis tabulis propositae fuissent, hu-
ius rei nouae atque insolitae sine dubio
mentionem fecissent LIVIUS et PLINIUS.
Quorum hic in *Histor. Nat. Lib. XVI.* 84.
de arte ebur secandi haec habet: — *pri-*
ma origo luxuriae arborem alia integi,
et viliores ligno pretiosiores cortice fieri:
ut una arbor saepius veniret, excogita-
tae sunt et ligni bracteae. nec satis, coe-
pere tingi animalium cornua, dentes se-
cari, lignumque ebore distingui, mox
operiri, et in Lib. VIII. C. 1. seqq. plura
de Elephanto, atque de dentibus eius, ex
quibus ebur conficitur, differit, nusquam
vero eboris usum in scribendis vel propo-
nendis legibus afferit, cum idem tamen
*Lib. XXXIV. 21. *Vsum aeris ad per-**
petuitatem monumentorum iam pridem
trans-

translatum dicat tabulis aereis, in quibus publicae constitutiones inciduntur. Persuasum igitur mihi est, non fuisse eburneas vñquam duodecim legum tabulas, nec eboreas apud Pomponium fuisse, quem vtilissimi Enchiridii auctorem hac in re a crimine *civicoenras* liberandum esse censeo, transfero potius culpam in Epitomatorem, qui ex roboreis eboreas fecit tabulas, quod eo facilius fieri potuit, quod, quo Digesta iurisque Corpus iussu Imperatoris Iustiniani compilata sunt, saeculo, *dçvncay* tabulae plerumque quernae dicerentur, non roboreae. Ignorauit igitur forsitan bonus ille Compilator, quisquis ille fuerit, quae essent roboreae tabulae, et leui mutatione eboreas nobis reliquit. Aut, quod mihi magis adhuc probatur, librarius in describendo Pomponio aberrauit, praesertim cum vna syllaba facillime cum altera permutari possit. Nam vt recte scribit *HEINRICIVS* in *Praef. ad Obseru. BYNKERSHOECK.* Inciderunt iuris nostri libri in manus scribarum indoctissimorum, quibus, quod scribebant, non magis notum fuit,

b

quame

quam doctis auiculis, quod canunt. Certe nulla ratio reddi potest, cur librarii in describendo Pomponio meliori fortuna, maioriique diligentia vni essent, quam in ceteris libris, quos innumeris saepius scribarum mendis deformatos esse, sciunt omnes. In eiusmodi autem locis aperte deprauatis, litteris, ut scriptae sunt, inhærente, supersticio est, praesertim si modesta crisi emendari possunt. Modestam autem crisin eam esse pronuntiat ille, qui pari solertia et Critici et Iureconsulti partes adimpleuit V. A. CORN. A BYNKERSHOECK in *praef. Obseru.* *si vtraque lectione collata, probabile et proclive vitium doceat Criticus, — si dicat una littera peccatum vel duabus.* Ex his, igitur quae a me disputata sunt, facile patet, eos nullam reprehensionem, sed laudem potius mereri, qui eborearum tabularum loco apud Pomponium roboreas reposuere. Nam et necessaria est Crisis, ne Pomponius a reliquis scriptoribus dissideat, et modesta, quia tantum vna syllaba mutatur.

C 8889

M.C.

B.I.G.



OBSERVATIO

DE

MATERIA XII. TABVLARVM

AD LOCVM POMPONII

EX ENCHIRIDIO L. 2. §. 4. D. DE ORIG. IVR.

QVAM

V I R O

MAGNIFICO IVRISCONSULTISSIMO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

MARTINO GOTTLIEB

P A V L I

I. V. D. DIGESTI VETERIS PROFESSORI CVRIAЕ
PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI
SCABINATVS ET FACULTATIS IVRIDICAE
ASSESSORI

NVPTIAS CELEBRANTI

A D. VI. CALEND. DECEMBR.

D. D. D.

GOTTLIEB WERNSDORFIUS

IVR. VTR. CANDIDATVS ADVOC. IMMATR. ET S. C. M.
NOTAR. PVBL.

VITEMBERGAE LITERIS C. C. DÜRRII ACAD. A TYBIS.



(Cat. N. 465)

QK. 264.